

**Nonnulla de morbis cordis organicis : dissertatio inauguralis medica ... /
auctor Isr. Julius Philipp.**

Contributors

Philipp, Israel Julius.
Friedrich-Wilhelms-Universität Berlin.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Berolini : Typ. Augusti Petschii, 1832.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/aq6mg2nc>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

N O N N U L L A
DE
M O R B I S C O R D I S
O R G A N I C I S.

D I S S E R T A T I O
I N A U G U R A L I S M E D I C A,
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
G R A T I O S I M E D I C O R U M O R D I N I S
IN
U N I V E R S I T A T E L I T E R A R I A F R I D E R I C A - G U I L E L M A
AD SUMMOS
I N M E D I C I N A E T C H I R U R G I A H O N O R E S
RITE CAPESENDOS
D I E X V I M . J U L I I M D C C C X X X I I
H. L. Q. S.
P U B L I C E D E F E N D E T
A U C T O R
I S R . J U L I U S P H I L I P P ,
B E R O L I N E N S I S .

O P P O N E N T I B U S :

J. S. KAPPELER, HELVETO - GYNOPEDIENSIS.
A. MOSER, BEROLINENSIS.
S. W. WOLFF, MARCHICO - FRIEDLANDIENSIS.

B E R O L I N I ,

T Y P I S AUGUSTI PETSCHI.

АДАЧИЛОЙ
СЕСНОЭ СІЯНОЙ
БІОНАДІЮ

ОТВАСІВСІ

АДІАМ СІЛАНІОУЛІ
КАУ
ЭТАПЛОТЫН ТА НАЗАНОС
СІЛІСІО МІШІСІСІМ ІІСІТАН

АМЫЛДА-АДІКСІСІМ АКІНАТЫ АТАСІВАНИИ

АДІДОИ АЛІШІНІ ТІ АДІКСІМ
Родославіи

АКІЛДАМ АЛАДА МІДІ ГІДІ

АДІДАМ АЛАДА
АДІДАМ

АДІДАМ АЛАДА

АДІДАМ АЛАДА

АДІДАМ АЛАДА

АДІДАМ АЛАДА

АДІДАМ АЛАДА

АДІДАМ

АДІДАМ АЛАДА

VIRO
ILLUSTRISSIMO, CELEBERRIMO,
DOCTISSIMO
EDUARDO GANS,

JURIS UTRIUSQUE DOCTORI, IN UNIVERSITATE BEROLI-
NENSI FRIDERICA GUIELMA PROFESSORI PUBLICO
ORDINARIO,

QASV. 16.
HAS

QUALESCUNQUE PAGELLAS

DOCIMISSIMO.

AVIAQ. OCHIACU

-TODA STATUA TUTA ET LIBERTATIS ET QVINTUS 2990.
O JUVENTU MOLITORUM. EQUUS QVINTUS. 1600.
CONSECRAT

AUCTOR.

PRAEFATIO.

Legenti mihi nuper *Hippolyti Francisci Albertini*, medicinae quondam professoris Bononiensis, opuscula, quae novis curis illustrasse, et ad pristinum nitorem revocasse magnum est doctissimi *Henrici Romberg* meritum, occurrit, quod credo saepe hodie occurrere iis, qui, postquam auctoribus nostri saeculi operam tribuerunt, in scripta veteriorum aut antiquorum medicorum animos dirigunt, ut scilicet non satis mirari possint, scripta frugis tam plena neglecta omnino jacere. Quod quum in omnia *Albertini* opera tum praesertim in eum valet commentarium, quo ille egregia sua inventa de morbis cordis, quibus indagandis maximam vitae partem impenderat, in publicum edidit. Hic magni sudoris libellus, quem tamen mode-

stia viri haud satis elaboratum esse duxit, tantam testatur in morbis cordis, de quibus, quam fallax sit judicium, nemo ignorat, tam dignoscendis quam curandis artem et excellentiam, resque per se obscurissimas ita illustrat, ut vix dici possit, quidni ille praestantissimis adnumeretur de morbis cordis scriptoribus.

Quam rem animo volentes, cum praesertim plurimum vitiis cordis laborantium lectulos adiissemus, antiquo et gravi more requirente, ut ingenii quemdam fructum proferamus, consilium cepimus de organicis hujus visceris morbis, diagnosis et curae ratione habita, nonnulla tradendi, maxime ut inde pateret, veteriores jam medicos et prae caeteris *Valsalvam* et *Albertinum* optimum his de morbis judicium fecisse.

et in eundem illa. dicitur dicoque omnia ad de-
scriptio ait. sicut etiam in primis isti, mem-
bris sensibus et corporis actione respondebat
metu. quare etiam sensus quod distinguit
quoniam tuum idem vello exponere. posse
imp. ab eo idem significat. et id est de re
solutio. cum non sensib[us] sensibus tri insuper
-sensib[us]. sed de modis. in quo sensib[us] sensibus

Duodecimini initio saeculi morborum familia
recepta est in systema pathologicum, cuius in
scriptis *Hippocratis*, *Plinii*, *Celsi*, *Galenii*, *Are-
taei*, *Caelii Aureliani*, *Pauli Aeginetae*, *Alex-
andri Tralliani* non nisi obscurissima vestigia
agnoscuntur, quamquam qui medii aevi de re-
bus sive anatomicis sive pathologicis scripserunt
viri clarissimi, *Antonius Cermisone*, *Bartholo-
maeus Montagnana*, *Antonius et Alexander
Benivieni*, fratres, *Nicolaus Massa*, *Realdus
Columbus*, *Donatus Antonius ab Altomari*,
Hieronymus Mercurialis, *Nicolaus Turpius*,
Theodorus Kerkring haud ita raro de ea men-
tionem faciunt.

Haec est illa morborum cordis familia, quae
tum ob summam in quo laesio gliscit organi ma-
jestatem, tum ob maximam specierum, quibus
componitur, proprietatem et individuitatem, tum
ob pertinacissimum quo medicis resistit modum

ab hoc inde tempore maxime in amoribus, ut ita dicam, fuit virorum rebus tenebris offusis explicandis operam navantium.

Respiratio laesa, sive asthma ingens erat receptaculum quo olim conditi erant cum innumerabiles alii, tum praecipue morbi cordis, quin unquam in asthmate audirentur nomina vitiatae cordis structurae. Cum stabulum illud everretur, cui utinam Hercules, Jove natus, affuisset labori, laryngis, tracheae, pulmonum eorumque integumentorum, vertebrarum dorsalium nec non cordis affectiones morbosae in lucem prodierunt. E quibus etiamsi fieri potuerit, ut, quas priores designavimus, necessitate urgente, dignoscerentur, tamen omnino non concessum erat, doctrina circuitus in humano corpore sanguinis nondum constituta, ullum de vitiis cordis facere judicium.

Quae tam unica *Caesalpini* doctrina quantum valuerit quantamque habuerit vim in res pathologicas, quae involutae erant et obscurae, illustrandas, non est, qui nesciat, nec minus facile est intellectu, quantus inde redundaverit fructus ad statum cordis morbosum *in vivo* jam homine dijudicandum.

Ab hoc natali morborum cordis die nominandi veniunt prae caeteris duo viri, *Malpighii*

discipuli, *Hippolytus Franciscus Albertinus*¹⁾ et *Antonius Maria Valsalva*²⁾, qui, praecopere clarissimo auctore et impulsore, maximam vitae partem in morbos cordis indagandos impenderunt, tamque inaudita adhuc omniumque opinione majora protulerunt, ut ab aegrotis omnis aetatis, sexus, conditionis expediti laboribus subeundis vix sufficerent.

Qui commentarium legit excellentissimi *Albertini* inscriptum „Animadversiones super quibusdam difficilis respirationis a laesa cordis et praecordiorum structura pendentibus vitiis” qui quidem commentarius paucis pagellis tamquam parva in cellula uberrimos longe experientiae fructus recondit, is sane mirabitur, quantum unus praestare potuerit ille, quantumque tanti incepti princeps superarit insequentis temporis aemulos, is magis adhuc mirabitur modestiam viri, cuius quippe non nisi decimo post obitum anno aureus in lucem prodiret libellus.

Erroribus nonnullis, ut in quaestione de

¹⁾ *Mazzuchellius* Gli Scrittori d'Italia civè notizie storiche e critiche intorno alle vite ed agli scritte de Letterati Italiani. Brescia 1753, Vol. 1, P. 1, p. 322.

²⁾ *Fantuzzius* Notizie de gli Scrittori Bolognesi Bologna 1781, T. 1, p. 154.

polypis cordis et humorum acrimonia viscera corrodente, exceptis, ab acuminibus dialecticorum vanisque hypothesibus ita abhorret auctor, ut immo veram praebeat Hippocratici viri speciem cuius, ut Boerhaavius¹⁾ praedicat de illo inter Britannos medicinae auctore celeberrimo, sine honorifica praefatione nomen memorare erubescerem.

Tantus ille vir cum universae medicinae incrementum intulit tum doctrinam de morbis cordis organicis omnino novam creavit et in arte horum morborum et dignoscendorum et curandorum ita excellebat, ut, etsi ipse ingenuus, quam fallax sit et lubricum his de morbis judicium fateatur, neque errores dissimulet in quos ipse plus semel inciderit, tamen nos vituperandos non esse arbitremur pro certo affirmantes, studium vitiorum cordis organicorum tum dignoscendorum tum curandorum inde ab Albertino ad illud usque tempus quo *Laennec* floruit parum profecisse.

Nihilominus non id agimus, ut de laudibus praeclarissimorum virorum *Lancisii*²⁾ Mor-

¹⁾ Oratio de commendando studio Hippocratico.

²⁾ *Lancisius*. I. M. De motu cordis aneurymat. c. Fig.

*gagni*¹⁾), *Senac*²⁾), *Testa*³⁾), *Corvisart*⁴⁾, *Kreysig*⁵⁾), *Bertin*⁶⁾), *Burns*⁷⁾ aliquid detrahere conemur, immo non ignoramus, eos, quae aetiologicalia essent morborum cordis momenta illustrasse, quae inter diversas species intercederent differentiae, constituisse, et lectulos aegrotantium animo non capto adeuntes maxima, qua potuerint exactitudine symptomata descriptsisse, et docuisse, cordis vitia organica minime ad raritates, ut dicere solent, pathologicas pertinere.

Quantum ars nostra lucrum fecerit iis ex rebus, quarum fuit auctor divinus ille et immortalis *Laënnec*, de cuius erga rempublicam medicam meritis nunquam ita magnifice dicam, quin ejus id sit superatura dignitas, satis super-

¹⁾ *Jo. Bapt. Morgagni.* *De sedibus et causis morborum, per Anatomen indagatis*, Lib. VI.

²⁾ *Senac.* *Des maladies du coeur.* T. IV.

³⁾ *Anton. Joseph. Testa.* *Delle Malattie del cuore* ediz. second. Firense 1823.

⁴⁾ *I. N. Corvisart.* *Essai sur les maladies du coeur*, 3e édit. Paris 1818.

⁵⁾ *Fried. Ludwig Kreysig.* *Die Krankheiten des Herzens systematisch bearbeitet.* T. III. Berlin 1814 — 17.

⁶⁾ *Bertin.* *Traité des maladies du coeur et des gros vaisseaux.* Paris 1824.

⁷⁾ *Burns.* *Observ. on some of the most frequent and importend diseases of the heart.*

que inter omnes constat. Ad cordis morbos quid attinet, ipse quod de se fert judicium afferam¹).

„Les travaux des auteurs (Lancisi, Morgagni, Senac) que nous venons de citer et ceux de Corvisart on fait connaître beaucoup de lésions organiques du cœur, mais ont jeté peu de lumières sur leurs signes; et dans l'état où ils ont laissé la science il n'était peut-être pas possible de distinguer constamment une de ces affections de l'autre. Les véritables signes des affections organiques du cœur se tirent encore de la *percussion* et surtout de l'*auscultation*, et à l'aide des renseignemens précis que fournissent ces signes purement physiques quelques symptômes ou accidens physiologiques nés du trouble des fonctions et par eux mêmes très-vagues peuvent quelquefois acquérir un degré de certitude qu'ils n'avaient pas auparavant.”

Docuit nos ille vir animos advertere ad extensionem (Etendue) ad impulsu[m], ad rhythmum, ad strepitum (Bruit des battemens du cœur) ictuum cordis, quae omnia, cum vitio aliquo laboret hoc viscus, ita mutantur, ut jam hac e mutatione ad quam cordis partem haereat

¹) R. T. H. Laennec. Traité de l'Auscultation médiate et des Maladies du Poumon et du cœur. 3e édit. augmentée de notes par Meriadec Laennec. 1831. T. III.

morbus intelligere liceat. Instrumenti quod inventum ingeniosissimi ope audimus strepitum, qui est comparandus flatui follis (Bruit de soufflet), alium qui cum lima, lignum molle stringente (Bruit de râpe) aliud, qui cum fremitu aquae ferventis (Bruit de cuir) conferri potest, quae diversa strepitus genera quanti sint momenti in vitiis cordis organicis non solum dignoscendis verum etiam curandis cum nulli non patebit in stethoscopia vera non hospiti, tum ex iis praesertim apparebit, quae adhuc hac de re sunt afferenda.

Ita factum est, ut dilatationem, hypertrophiam ventricorum, aneurysma activum, abnormalmem cordis situm, transmutationem ejus in pinguem, metamorphoses cartilagineas et osseas in musculari parietum substantia, indurationem et mollitatem, excrescentias et alia valvularum via, polypos partem eorum accurate dignoscere, partem suspicari modo possimus.

Hunc tam bene de pectoris morbis meritum virum vestigiis insecuri sunt *Cruveilhier*¹⁾

¹⁾ *Cruveilhier*. Anat. patholog. du corps humain, 3e édition in fol. Par. 1829, et Dictionnaire de Medicine pratique T. 3 art. Apoplexie.

*Berard*¹⁾, *Reynaud*²⁾, *Roschoux*³⁾, qui omnes praecipue de apoplexia cordis disseruerunt eamque esse principem rupturae cordis causam perspicuum satis fecerunt; nec non *Rostan*, *Cullerier* quorum a nostratibus non satis cognita opera vitiorum cordis diagnosis ad gradum pervenit, quem quadraginta ante annos nemo praesagisset.

Cum, diagnosis hujus familiae morborum historia brevibus ita enarrata, nunc ad eos nos convertamus tractandos, occurrimus, quae in omnibus, textura organi mutata contentis, morbis obviam se fert, magnae diagnosis et curae discrepaniae, quae quidem hoc loco eo magis in oculos cadit

1) quia, ut nobis quidem persuasum est, morbi cordis, diagnosis ratione habita, clariore hodie luce illustrati sunt, quam cerebri, hepatis ventriculi, uteri, vesicae urinariae (etsi quibus haec organa praesunt excretiones, qualitate aut quantitate peccantes melius de iis malo aliquo

¹⁾ Dissertation sur plusieurs points d'anatomie pathologique et de pathologie: Thèses de la Faculté de Méd. de Paris anno 1826, Nr. 23.

²⁾ Journal hebdomadaire de Médecine T. II. pag. 363.

³⁾ Dictionnaire de Méd. T. XVIII. art. Rupture.

laborantibus indicium facere oportere videantur) tum

2) quia non in aliis morbis organicis tam turbulentis mortemque, ut deum ex machina, advehentibus obvenies paroxysmis, quam in iis, quibus cor laborat; unde sequitur, ut non alii properius iis nec repentinus exposcant auxilium.

Quaerenti igitur tibi unde orta sit tanta inter morborum cordis organicorum diagnosin et curam discrepantia, qui fieri potuerit ut, quamvis *Valsalca* et *Albertinus* nonnisi duas habuerint species, Polypos scilicet, et Aneurysma activum cordis, recentiores autem de morbis cordis scriptores, si paucas, decem esse putaverint, nihilominus, quam *Albertinus*, instinctum, ut ita dicam, practicum secutus, proposuit, curandi methodus non solum eadem ipsa sit, cui hodie adhuc fides habetur, verum etiam, audemus dicere, longe ea excellat, duas potissimum affermus causas:

1) quia, quae in diversis morborum cordis speciebus se offerunt symptomata, percussione et auscultatione, quas eheu perpauci tantummodo consulunt medici, exceptis, ita inter se conveniunt et similia sunt, ut eam ob rem unam curandi methodum omnibus satisfacere oportere existimes; tum

2) quia, quae demum hujus familiae morborum occurrat species, dummodo ad altiorem pervenerit gradum, tam mortiferis incedit oppressionibus, angustiis, languoribus, exitumque lethalem tam propinquum esse persuadet, ut, qui in officio sunt medici jure non solum de malo a radicibus evertendo desesperent, verum etiam, symptomatibus maxime periculum minitantibus oppugnatis, satis se superque palliative, ut barbare dicunt, egisse arbitrentur.

Ut primum affirmemus auctoritate locum citamus *Laenecii*¹⁾:

„Les symptômes généraux de toutes ces affections sont presque les mêmes, une respiration habituellement courte et gênée, des palpitations et des étouffemens constamment produits par l'action de monter, par la marche rapide par les affections vives de l'ame, et revenant même souvent sans cause connue; des rêves effrayans, un sommeil fréquemment interrompu par des reveils en sursaut et une sorte de pâleur cachectique avec penchant à la leucophlegmatie, qui arrive effectivement pour peu que la maladie augmente etc.”

Alterum vero in dubium mehercule non vocabit,

¹⁾ O. c. T. III. pag. 9.

cabit, qui unquam hominem morbo cordis organico laborantem inter paroxysmos observaverit.

Quamvis itaque maxima vitiorum cordis organicorum pars, imprimis ubi vitia illa intensiores gradus evaserint, desperata quasi videantur, quaeque curari non possint, et valeant hodie, quae ante saeculum valuerunt excellentissimi *Albertini* verba „procul dubio enim gravissima sunt vitia (cordis scilicet) atque in praecipiti discrimine interdum posita, ut nobis certe hactenus in iis medicinam, quae morbum adimat, invenire minime datum sit,” tamen dubitandum non est, quin, si vitia illa nascentia et ex occulto, ut solent, insidias struentia possent reprehendi, ne adeo celeriter increscerent, neve aliud ex alio intensius et irreparabilius succederet, effici possit.

Cum, diaeta et vitae regimine bene constitutis, phthisicis et qui hepate laborant aut liene infarctis (quamquam haec organa corde dignitate longe superari non ignoro) vita per multos annos servetur, cur soli, quibus cor est uno altero modo textura partium peccans, summi hujus beneficii expertes sunt? Et tamen inter omnes constat, omnesque conqueruntur, qui corde laborantibus auxilium ferunt, non alium esse morbum chronicum, qui tanta et tam incredibili celeritate, improviso medico, necet, quam cordis

morbos organicos; qua quidem medicorum querela maxime commoti sumus, ut huic rei investigandae primas dedissemus vires.

Jam supra exposuimus, ut ad rem ipsam aggrediamur, tam incredibili celeritate obvenientem lethalem morborum cordis exitum ab eo imprimis dependere nobis videri, quod horum morborum species, etsi diversissimae naturae, tamen, ad curam quod attinet, eodem ut ita dicam, modulo omnes metiuntur, ad unam omnes revocantur formulam, ut dicere vix possis aliam existere, quam quae ab *Albertino* et *Valsalva* proposita est his morbis medendi methodum.

Stat igitur nobis demonstrare curam, etiamsi palliativam, non unam omnibus morborum cordis organicorum speciebus convenire, immo saepe contrarias species contrariis pharmacis, contrario regimine et diaeta esse oppugnandas. In qua re explicanda non poterimus non mentionem facere remedii cui, ut nos quidem putamus, non sine summo aegrotantium damno, specificas, ut vocant, inesse in omnes morbos cordis vires arbitrati sunt.

Quatuor praesertim hic examinandae veniunt species, quae et creberrimae sunt, et pessimam agnoscent naturam, et maximam dant medicis peccandi ansam: Dilatatio scilicet ventriculorum

Hypertrophia parietum, Dilatatio Hypertrophiae juncta et vitia valvularum. Ceterae quot sunt species in valetudinem non prius agunt, quam Hyperthrophiam ventriculorum aut Dilatationem effecerint. Eadem fere est *Laennecii* sententia: „Les maladies du coeur les plus graves et les plus fréquentes sont la dilatation des ventricules l'apaississement de leurs parois, et la réunion de ces deux affections; l'ossification des valvules sigmoïdes de l'aorte (??), celle de la valvule mitrale, les excroissances placées sur les mêmes parties, qui peuvent se développer dans le coeur sont des affections beaucoup plus rares et qui pour la plupart ne troubent la santé, que lors qu'elles sont arrivées à un degré assez intense pour déterminer l'hypertrophie ou la dilatation des ventricules.”

Quae quidem designatae morborum cordis species cum symptomata praeseferunt *perpetua* sive *permanentia* (et physicalia, auscultationis et percussionis ope exploranda, et physiologica seu ad functiones spectantia) de quibus copiosius hic dicere non locus est, tum comites habent *paroxysmos*, quibus praesertim continetur fatalis ille in apoplexiam cordis aut rupturam, hic est in mortem exitus, quique tam mortiferis incedunt angoribus, ut profecto toties dicere pos-

sis mortuum esse hominem, quoties tali vexatus fuerit paroxysmo, ut bis mortuam mulierem ait **Hippocrates.**

Consistunt tales paroxysmi in sanguinis ad cor stagnatione et, quae inde sequitur, actionis hujus visceris per momentum cessatione; causas remotas afferam, ubi vitia adsunt valvularum, impedimentum mere mechanicum, ubi vero Hypertrophia aut Dilatatio, dysharmoniam, venia sit voci non latinae, inter vim motricem cordis et sanguinem movendum. Syncope vera est his paroxysmis crisis et a natura concessum remedium (syncope autem tam saepe occurrit in morbis cordis organicis, ut signum eam pathognomicum haud tamen magno jure esse voluerint) quo quidem remedio organo, tam incredibili vehementia in impedimentum haud superandum agenti, otium impertitur. Quod natura syncopes ope, id medicus alia via impetrare studebit. Unica autem, qua e morte eripi potest aegrotus, exstat via, quae fert in lanceolam, et, si unquam, in hoc certo casu omnis hominis salus in cuspide posita est lanceolae; sed parva modo quantitate mittatur sanguis, ut iterari mox possit venae sectio. Si verum est, ut est verissimum, magnos omnium temporum medicos a scholarum libera-

tos vinculis naturae tantum paruisse id hoc loci maxime in oculos cadit; quibus enim excellen-
tissimus *Albertinus*, ubi de paroxysmis his cu-
randis sermo est utitur verbis: „Deinde in majo-
ribus respirationis et cordis angustiis vix aliud
auxilium experti sumus sive praestantius (quam
venaesectionem), modo parca tum manu cele-
bretur, ut iterandae phlebotomiae locus relinquat-
tur, qui saepe occurrere solet, ac ne sub eadem
patiens deficiat etc.” eadem sua quasi fecerunt
Laennec omnesque alii qui recentiorum tem-
porum de morbis cordis scripserunt auctores.
Quamquam vix non unicum in venaesectione
ad oppugnandos hos paroxysmos petendum
est auxilium, tamen alia, praesertim, quae ci-
tius extrinsecus derivant, non sunt negligenda.
Crura ad genua usque pediluvio tepido immit-
tantur aut linteis tepida madefactis involvantur;
item brachia et manus; clyster emolliens cum
aceto injiciatur; sinapismus, cui hic magna est
fama, deltoidi, cruribus aut suris imponatur. Si
ad valvulas haeret vitium aut si dilatatio adest
simplex seu aneurysma cordis passivum, sanguini-
nis missiones iteratae et p^rae omnibus Digitalis
non solum evitandae, verum etiam volatilia nari-
bus supponenda quin et intrinsecus liquoris Am-
monii succinici vel similiūm guttulae nonnullae

porrigendae sunt. Ubi contra Hypertrophiam ventriculorum miserias has adduxisse tibi persuasisti, ibi certe sectionem venae sat largo vulnera susceptam, saepius nec parva nimis quantitate, pro re nata, ad lipothymiam usque repetas, et digitalis herbam cum summo aegrotantis fructu praescribas.

Expositis hucusque, quae sunt in paroxysmis facienda, transeamus nunc ad perpetuorum symptomatum curam, quae pro diversis morborum cordis speciebus est diversissima.

Quas species si animo non capto intuitus eris, facile intelliges, omnes fere, ut jam supra monuimus, eadem agnoscere symptomata physiologica: cruciantur aegroti doloribus rheumaticis ad superas thoracis partes, ad humeros, ad unum alterumve brachium; cruciantur languoribus, angustiis, mortiferis oppressionibus; extrema corporis praesertim inferiora semper frigida et velut paralytica iis inveniuntur et infiltrata; ad unum omnes moleste nimis abducuntur a somno capiendo, quo irrepente, praesto adest cordis oppressio et pectoris etc.

Si igitur cum nondum suppeditarent certiora symptomata, auscultationis scilicet et percussio-
nis, excusari potuit, quod cordis diversissimae naturae morbi omnes una lege regebantur, non

satis vituperandum est, hodie etiam uni tantum pareri methodo, ac si non nisi una existeret species; nec magis concedi potest, unum remedium, quod specificis praeditum esse viribus sibi persuaserunt ad tam diversas morborum formas oppugnandas adhiberi.

Certe infitias iri non potest, recentissimorum temporum medicos valdopere abusos esse *Digitali*, de hac enim sermo est planta, nec pronuntiasse eos morbi cordis nomen, quin ad sacram hanc ancoram refugissent. *Digitalis* autem, ut cuiusvis alias remedii, usus certis est contentus finibus, quas non sine maximo aegrotantium detimento excedere licet. Herba *Digitalis* deprimenter, sine dubio, exercet in cordis actionem motumque sanguinis effectum, et quamvis ei vis insit urinas pellendi haud parva, tamen qua gaudet in morbis cordis fama non nisi a prima, quam designavimus, ejus virtute dependeret videtur.

Itaque his modo in casibus locus erit *Digitali*, ubi nimia cordis actio, cum contineatur viribus hujus visceris abundantibus (nimia enim cordis actio et in valvularum invenitur vitiis, etsi nulla hic sit *Digitalis* in usum vocandae indicatio), est coercenda, reprimenda; igitur in Hypertrophia ventriculorum, et in ea forma Hypertro-

phiae cum Dilatatione conjunctae ubi illa hac est superior. Quod *Laennec*¹⁾ fert de Digitalis in morbis cordis usu judicium tam iniquum :

„La Digitale pourprée est aujourd’hui fort employée dans le traitement des maladies du coeur d’après l’opinion généralement repandue, qu’outre son effet diurétique, elle exerce encore une action sédative sur le coeur. J’avoue que cette action ne m’a jamais paru bien évidente et surtout constante même lorsque la dose était portée au point de produire des vomissements et des vestiges etc.” hoc *Mariadecius Laennec* in nova operum fratris editione his fere verbis refutat : „En somme de tous les sédatifs du système circulatoire la *Digitale* me paraît encore mériter de beaucoup la préférence. Elle irrite souvent l’estomac mais en graduant la dose avec prudence, en suspendant l’usage à propos en l’administrant sous différentes formes on finit presque toujours par en tirer bon parti.”

Recentissimis temporibus *Broussais*²⁾, Galliae lumen atque decus, pleniore, ut solet, ore plenaque manu *Asparagi*, plantae, ut ait, maximis contra hypertrophiam cordis viribus praeditae, ad astra sustulit laudes. Ipsissima ejus refe-

¹⁾ O. c. T. III. pag. 336.

²⁾ Annales de la Médecine physiologique, Juillet 1829.

rimus verba, ut medici ad pharmacum hoc accuratius examinandum aggrediantur:

„Il est une plante à laquelle aucune matière médicale n'accorde la propriété sédative du coeur et qui pourtant en jouit dans un degré des plus évidens. Elle joint á cet avantage celui non moins précieux de ne point irriter l'estomac, quand elle est prise avec modération et convenablement préparée.

Cette plante c'est *l'Asperge*. Qu'une personne, qui souffre par l'hypertrophie et la suractivité du coeur se mette à manger des asperges, elle sera soulagée (? ?), qu'elle en suspende l'usage, elle verra se rénouveler ces incomodités habituelles. Cette observation faite sur lui même par un homme de mérite étranger á la médecine lui inspira l'idée de faire préparer du sirop d'asperges et de le conserver pour la saison, où les tendrons de cette plante ne se trouvent plus. Il s'en trouva si bien, qu'il en prit l'habitude et qu'à la faveur de cette précaution il souffre peu de son irritation du coeur Le sirop de pointes d'asperges jouit d'après notre observation particulière la propriété, de ralentir la pulsation du coeur, sans irriter l'estomac, à moins qu'il ne soit pris à trop forte

dose, où que ce viscère ne se trouve dans un état de phlogose."

Nos Asparagum non alio modo, quam renes impellendo eorumque adaugendo functiones, in cor agere putamus; nec minori jure cineres vitis pampinorum, quibus magnam urinas pellendi vim inesse ingeniosissimus et divinus *Schoenlein* docuerat, specificum in cor exercere effectum dices. Venia ceterum sit tantae orationis digressioni. Ad *Digitalem* ut revertamur, cum per longum tibi sit adhibenda tempus, ne obliviscaris efficacitatem ejus longis usus interpositis intervallis valdopere augeri. Haec de Hypertrophia.

In Dilatatione ventricolorum, aut ubi ea ita Hypertrophiae est juncta, ut superior sit, aut in vitiis valvularum, iis imprimis, quae arthritico veneno continentur, etsi in paroxysmis his speciebus intermixtis venam aperias, parvam effluere sanguinis quantitatem patiaris, nonnullasque Tinct. Digitalis aethereae porrigas guttulas, non solum a sanguinis missionibus, a *Digitali*, ab apparatu debilitanti te abstinebis, verum etiam roborantia varia, pro varia causarum natura, prae ceteris fontes naturales martiatos in usum vocabis, immo interdum ad excitantia confugies, dummodo ea excludas, quae sanguinem nimis

movendo occasionem ei praebent, ut fortiori incursu atque nisu cor urgeat impellatque.

Ne tamen his aliisque innumerabilibus, quae laudaverunt, pharmacis, diaetae regiminis que non summa habita ratione, morbum tam ingenitum, ne dicam submoveri, tamen leniri mortemque differi posse arbitreris. In diaeta unica est iis posita spes qui organicis laborant cordis vitiis, nec unquam medicus sat magnam in eam instituendam dirigere potest attentionem, nec unquam sat acerbe severum esse in aegrotos, affines, amicos, quin in collegas ipsos non paucos.

Ejusmodi autem diaetam esse oportet ut omnia, quae, quoctunque modo, in cor agunt, praeципue pathemata animi amoveantur severissimamque in cibo potuque assumendo legem aegrotus sequatur. In Hypertrophia praesertim tantum modo victus porrigatur, quantum vitae sustinenda satis est, illudque non bipartito sed tripartito et quadripartito etiam sic ut, verbis utor excellentissimi *Albertini*, „exigua dosi sanguifera vasa ingressum ea tum ne minimum quidem distentat.” Carneae diaetae lactea, sine dubio, praferenda.

In Dilatatione, aliisque ad paralysin aut rupturnam cordis magis spectantibus vitiis, in ea praesertim parietum ventriculorum mollitie, quae

tam e syphilitico quam e scorbutico veneno originem ducere videtur (etsi fieri etiam potest ut easdem agnoscat causas quam Encephalomalacia, Gasteromalacia et Enteromalacia) quaeque in Italia septentrionali et praecipue Venetiis occurrit inter nautas (Matrosen) in quibus quippe saepissime Scorbatus inveniatur Syphilidi nuptus, cum causarum potissimum habenda erit ratio, tum, ut facile intelligi potest, diaeta longe magis nutriens et roborans instituenda est.

V I T A.

Natus sum ego *Israelis Julius Philipp* veteri addictus fidei anno MDCCCXI patre *M. Philipp*, matre e gente *Rieß* quorum praematuram mortem in omnem lugebo aevum. Primis litterarum elementis imbutus Gymnasium Berolinense, *Bellermanno et Koepke*, viris Illustrissimis, directoribus, per tres frequentavi annos et maturitatis testimonio dimissus anno MDCCCXXIX ab Illustr. *Klenze* t. t. Rectore magnifico in numerum civium academicorum receptus et ab Illustr. *Bartels*, medicorum ordinis decano, medicinae studiosis adscriptus sum. Ex quo inde tempore per quinque semestria hisce scholis interfui.

Illustr. *Rudolphi de Encyclopaedia medica, de Anatomia comparata, corporis humani, organorum sensuum, foetus humani et de physiologia.*

Illustr. *Knape de Osteologia et Syndesmologia; uterque artem cadavera rite dissecandi me docuit. Illustr. Schulz de Encyclopaedia scientiarum naturalium; Illustr. Hayne de Botanice, Illustr. Mitscherlich de Chemia universalis, Illustr. H. Rose de Pharmacia, Illustr. Link de*

Pharmacologia et Toxicologia, Illustr. *Hegel* de Logice et de Philosophiae historia; Illustr. *Gans* de recentioris historia temporis, Illustr. *Wiegmann* de Zoologia, Illustr. *Ermann* de lumine et calore et de physice universalis, Illustr. *Hecker* de Pathologia et Therapia speciali, Illustr. *Fr. Hufeland* de Pathologia generali, Illustr. *Osann* de materia medica, Illustr. *Rust* de Chirurgia universalis, Illustr. *Casper* de arte formulas medicas rite conscribendi.

Tum per duo Semestria interfui clinicis exercitatio-nibus virorum, Illustr. *Rust* et *W. Hufeland*.

Hoc tempore praeterlapso, anno MDCCCXXXI al-
lam Wirceburgensem academiam per Semestre adii et his operam dedi legentibus, Illustr. *Schoenlein* de thera-pia speciali et de morbis syphiliticis, Illustr. *d'Outrepont* de arte obstetricia tam theoretica quam practica, Illustr. *Textor* de akiurgia et de Fasciis, et praeterea Clinicis usus sum medico, duce Illustr. *Schoenlein*, chirurgico, duce Illustr. *Textor*.

Berolini denique iterum apud Illustr. *Marheineke* Rect. magnif. et Illustr. *Rudolphi* facultatis decanum maxime spectabilem nomen professus, usus sum et utor praceptoribus illustrissimis *Rust*, *Wolff*, *Barez*.

Quibus omnibus viris illustrissimis, experientissimis, amplissimis summas quas habeo gratias ago.

Nunc examinibus praegressis, in eo sum ut, disser-tatione more solito defensa, si gratico medicorum ordini placuerit, utriusque medicinae doctoris gradum recuperem.

THESES DEFENDENDAE.

I.

*Tragoedia Shakspearii King Lear inscripta omnes
inter libros maniam optime illustrat.*

II.

*Diabetes et Phthisis pulmonum pituitosa ad
unam pertinent morborum familiam.*

III.

*Dolor ad cardinales, ut vocant, inflammatio-
nis virtutes non pertinet.*

IV.

*Quo morborum examina sunt rigorosiora eo
minus iisdem discitur.*

THESES DEFENDAV

A

de la morte de l'ame et de l'ame de la morte. V
et de l'ame de l'ame et de l'ame de la morte.

W

de l'ame de l'ame et de l'ame de la morte.
et de l'ame de l'ame et de l'ame de la morte.

XI

de l'ame de l'ame et de l'ame de la morte.
et de l'ame de l'ame et de l'ame de la morte.

XII

de l'ame de l'ame et de l'ame de la morte.
et de l'ame de l'ame et de l'ame de la morte.